



400

DISPUTATIO METAPHYSICA

<sup>DE</sup>  
D E O

*Quam*

Deo feliciter annuente

Amplissimo Philosophorum in Alma Salana  
ordine suffragante

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo & Excellentissimo*

DN. JOH. CHRISTO-

PHORO Hundeshagen/

Logicæ atque Philosophiæ primæ P.P. longè  
celeberrimo,

Dn. Patrono, Fautore atque Præ-

ceptore suo maximè colendo

*publico eruditorum examini subjicit*

JOHANNES HENRICUS Griesinger /

Wormatiensis.

*Ad diem April.*

In Acroaterio Philosophico

*H. L. Q. C.*

---

JUNÆ, Literis JOH. JACOBI BAUHOFERI.  
ANNO M DC LXIX.

DREIENZIGAUFEN OITATUEN

O

I

DIGITALISATION

Digitized by the Internet Archive

in cooperation with

Digitization of historical documents

*Eximio atq. Literatus*  
**DN. JOHANNI HENRICO Griesingeri/**

Phil. & SS. Theol. Cultori perindustrio

ob pictatem, ingenium atque industriam  
omnibus recommendando

*cum publicè*

**D E D E O**

disputaret

Tò EÜ

acclamat

**JOHANNES CHRISTOPHORUS Hundeshagen/**  
Log. ac Metaph. Prof. Publ. Ordin.

Jam studium σοΦίας tractas ardente calore,  
Quō temet tandem Phœbus honore beet!

**W**ann Er geneigter Freund/ uns eine nette Schrift  
Von Gottes Eigenschaft und Wesen hat gesetzt/  
So wird sein Fleiß hierdurch viel würdiger geschätzt/  
Warum? weil Er darin von Gott den Anfang trifft;  
Noch mehr / weil man drauß spürt daß sein entflamter Geist/  
Nur sucht was Göttlich ist/und nach dem Himmel schmecket/  
Wohl Ihm! Er fahre fort/ so wird sein Ruhm entdecket/  
Und grünen/wann ein Reiß sein fluges Haar umschleust.

Dem Hn. Antwortenden zu Ehren gab dieses von schleuniger Feder

**Christian Bick/ Not. Cæs. und D R. Best.**

**E**mporium Sophiæ dum vis penetrare Salanum,  
Numine de æterno prima loquela Tua.  
Principium studii finemque beare beando  
Ti velit æternus, Frater amande, Deus.

*His fratri suo Germano cathedram conscendentia acclamabat*

**JOH. BURCHARDUS Griesinger / Phil. & Theol. Stud.**

Naturam

**N**aturam summi meditariis Numinis, ampla  
Sic Tibi supremus præmia Jova dabit.  
*Panca hæc Dn. Resp. Amico suo integerrimo ac familiarissimo addit*  
**CONRADUS Stein** / Rauschenberga Hassus.


**S**candendo Cathedram scandis virtutis in altâ  
Proclivique viâ, sedulitatis amans.  
Scandendo talem scandas virtutis ad altum  
Proclive atque jugum, laude & honore micans!  
*quod calamo ore cordeq; fatetur precatur*  
*Præ-Eximio Dn. Resp. mutuam istam benevolentiam*  
*qualiter qualiter à parte sua ostensurus*  
**JOHANNES GUOLFG. Straubel** / Theosophiæ Stud.

**M A D R I G A L.**  
**S**chwing' an Olympus Zinnen  
Geflügelt mit Vernunft  
Zu unsrer Musenzunft  
Durch fluges Kunst beginnen!  
Ich wünsche Glück darzu!  
Man wird dein Lob nun finden/  
Durch Eliens Faust geschnürt  
So lang Thymbräus blüht  
An grünen Vorbeer Rinden.  
Dieses setzt seinem Hochgeehrten Herrn und sehrwerthen  
Freunde aus glückwünschenden Herzen schuldigst  
**CHRISTIANUS ADAMUS PAVONARIUS**, Phil. Stud.

**A**ἴον ἐπι λόγοις Τὸ περὶ γμα, φιλόταπ φίλε,  
εὐμάχαις ἔχον φιλοθεῖα ὄμοδ.  
Οὐετε ἐκ τέσσι χάρταις βλεψέμενον ἔγινον  
Οφθαλμω Φανερῶς γύσια γέγαιοδ.  
Τοτεκα ἡ εὐχὴ, ὡς σὺ Θεοπέμπετας ἔργον  
Ἄρχη εὐδαιμων εὐδαιμόνε πέλε.

*Præstantissimo atq; Literatissimo Dn. Resp. Fautori & Amico*  
*colendo, honorando hæcce ore cordeq; precatur*

**HENRICUS ZAHLIUS**, Fürstenwaldia Marchicus.





B. C. D.  
PROOEMIUM.

**S**imonides interrogatus olim ab Hierone Tyranno, quidnam esset DEUS? deliberandi unum sibi diem postulavit, cum idem ex eō postridiē quereretur, biduum pessit, ac cum ita sœpies duplicaret numerum, admiratusq; Hiero Tyrannus, qui rogaverat, efflagitaret, cur ita faceret? Quia, inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Et sane ita est, ut recte Simonides Hieroni Tyranno respondit; nam quotiescunque de DEO cogitamus, ejusq; naturam rimiri audemus, non rivulum ingredimur, nec flumen, sed vastissimi cuiusdam maris, qui vel optimos natatores jam olim absorpsérunt, gurgites indomitos; siquidem hæc doctrina doctissimorum hominum semper torsit ingenia, ut viam, quâ se expedirent, omnino non invenerint, sed quo secundq; verterent, in alios semper & alios, eosq; inexplicabiles nodos incurrerint, innumerisq; implexi hæserint labyrinthis. Eanimirum est hujus materiae sublimitas, ut ad eam caliget huma-

A

na

ne mentis oculus, omnisq; creatus intellectus se  
illius incapacem agnoscat. Ubiq; sunt spinae, qua  
ad sanguinem usq; pungunt; ubiq; difficultates,  
qua<sup>e</sup> humana<sup>a</sup> mente capi non possunt; ubiq; nodi,  
qui pro hoc vita statu insolubiles videntur. Quid  
igitur nos, cum videamus tam intricatos nodos,  
qui vix explicari posse videntur? Tantum sci-  
licet abest, ut animos abjiciamus, ut potius hæc,  
quod difficiliora sunt, & digniora judicemus,  
qua<sup>e</sup> protrahantur in lucem, cum Anselmo igitur  
incubiculum mentis nostræ intrabimus & omnia  
præter DEUM excludemus, & clausò ostiò quare-  
mus DEUM. Sit itaque

### THESIS I.

**A**ntequam vero rem aggredimur, paucis expli-  
candum erit, quid per nomen DEI hōc loco in-  
telligitur. Est autem DEI vox origine græca;  
derivatur, ut nonnulli volunt, in primis Dama-  
scenus, à Θεοδα, vel à Θεοπεῖ, ab intueridō, à contemplan-  
do: & tribuitur DEO ideo, quod omnia intueatur, con-  
templetur & ejus oculis aperta sint omnia; quod solus DEUS  
omnia cernat, & ab omnibus sit spectandus & contemplan-  
dus. Vide Matthiam Flacium Hlyricum in clave Scripturæ.  
Alii derivant ἀπὸ τοῦ θεοῦ à currēdō, quod DEUS per o-  
mnia penetrans & quasi discurrens faciat & conservet o-  
mnia, vel quod ubique omnibus præstō adsit, præsertim in-  
vocantibus ac laborantibus. Nonnulli vocem Θεος à timore  
deducunt, ideo quod DEUS omnibus hominibus sit metu-  
endus, sicut Poeta inquit:

Erimus

*Primus in orbe DEOS fecit timor.*

Alii ab antiquo Jesu quod est ponere vel disponere, ut vox Deos tribuatur DEO, quod omnia disponat & ordinet. Denique nonnulli deo ab urendo deducunt, quod DEUS sit ignis urens & impios consumens. Et haec de Etymologiâ hujus vocis; jam sequitur ejus significatio.

§. 2. Vocabulum Deos apud Autores multâ ambiguitate pressum legitur: Sic Deos (1) sumitur per metaphoram pro Gentilium idolis, sic Paulus i. Cor. 8. 4. inquit: *etiam sunt*, qui dicantur Dii in cælo vel in terra, quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi, nobis tamen unus est DEUS, per quem omnia & nos per illum. Confer Deut. 32. 17. (2) sumitur pro hominibus divinum officium gerentibus. Sic vocantur Reges & Rerum publicarum civilium Gubernatores, quia his DEUS aliquo modo suam potentiam, officium ac dignitatem communicavit, quod Psal. 82. 6. indicare videtur, quando ait: *vos Dii estis & filii Excelsi, veruntamen sicut homines moriemini & sicut unus ex principibus cadetis.* Vel, ob similitudinem appellantur DII, quod sicuti DEUS omnibus praest, ita illi perinde aliorum Domini ac gubernatores esse videntur. (3) Vocabulum Deos sumitur pro Angelis, ita ut Angeli etiam dicantur DII, eò quod familiaritatem DEI aut etiam majorem quandam copiam felicitatis & similitudinem cum DEO habeant, quam ulla alia creatura. Sic Ps. 97. 7. Adorare eum omnes Dii, quod LXX. veterunt Angeli. Quomodo & Autor Epistolæ ad Ebræos 1. 6. illud citat, quando inquit: Adorate eum omnes Angelii DEI. (4) Diabolus etiam dicitur DEUS non quidem simpliciter, sed cum additamento, *hujus mundi*, eò quod potenter in eo regnet & totus mundus se ad ejus libitum ac gestum componat, atque ad ejus præscriptum vivat. (5) Apud Aristotelem l. 1. Polit. c. 2. DEUS vocatur homo aliquis virtutibus

A 2

tibus

tibus eminentissimis instrutus, præ reliquis potentia, fortunis atque autoritate conspicuus, qui nullis eget subsidii in hoc mundo, sed omnia habet necessaria ad vitam sustentandam, & non indiget aliorum ope atque auxilio. Ita enim loco citato insit: ὁ ἀπόλις ἡγεμὼν καὶ τοῦχοι γέτρος Φαῦλος ὅτιν ἡ πείθων ἡ αὐτοποίησις. Qui absq; civitate est per naturam, non per fortunam, aut nequam est, aut potior quam homo, id est, DEUS. (6) Denique DEUS sumitur pro Ente summō & perfectissimō, quod aliarum rerum omnium est principium & causa, & à quo omnia, quæ in hoc mundo sunt, dependent, facta sunt, reguntur ac servantur.

§. 3. Hic obiter notandum, quod nomen DEI se habeat ad hæc omnia, nempe ad DELIM verum, ad Angelos, Magistratus ac Idola per modum eorum, quæ Logicis dicuntur communia ωργές εἰς τὸν αὐτὸν θεόν, i. e. ab uno ad unum sive analogā attributionis. Convenit enim nomen DEI DEO vero per prius, Angelis verò hominibus ac idolis per posterius & ob quandam habitudinem ad verum DEUM. Nam Angeli & Magistratus dicuntur DII ob excellentiam, & dignitatē, quam à DEO habent & ob ministerium, quod in exercendis DEO judiciis & perficiendis ejus operibus veluti vicarii DEI præstant, Idola autem DII dicuntur, quod falsò existimantur DII esse. De nomine DEUS idolis convenienter saltim Scholastici movent quæstionem, annon idolis univocè tribuatur, cum gentiles persuasi idola esse veros DEOS, non aliò significatu idola sua dixerunt DEOS, quam quō nos verum DEUM dicimus DEUM. Sed responsio facilis est, si ex mente Idololatrarum loqui velimus, utique nomen DEUS tribuatur Idolis univocè, cum illi persuasi fuerint, idola esse veros DEOS & dari verè plures & propriè dictos DEOS; sed vox DEUS tribui-

tur

ε. □

tur

tur Idolis falso hōc significatu, cūm idola non sint verus DEUS, immo nihil sint. Hinc quando de reipsā sermo est, an scilicet Idola propriè sint DII, respondemus, nomen DEUS non convenire Idolis propriè, sed impropiè, vel ut Thomas part. I. quæst. 13. art. 10. loquitur, *analogicè*, quod falso DII existimentur.

§. 4. Sed missis iis, quæ per quandam analogiam licuntur DEI, de DEO verō & qui per naturam DEUS est, impræsentiarum aeturi sumus. Dari autem DEUM per naturam sive essentiam talem, qui scilicet sit Ens perfectissimum & omnium rerum causa sit, patet. Primò ex intuitu hujus universi, quod cum tam apto conveniente & admirabili ordine constructum sit, tam constanter & sapienter gubernetur, non solum nos ducit in notitiam primi cuiusdam & supremi Entis, à quō factum sit ut gubernetur, sed testatur etiam de infinitâ ejus potentia & divinitate. Mundus etiam hic universus tam affabre & pulcre conditus & in hunc usque diem admirando ordine conservatus, neque condi neque conservari potest, nisi à summô quodam conditore, quem DEUM appellamus. Ita argumentamur: Res, quas videmus, factæ & productæ sunt ab aliquâ causâ, nihil enim est causa sui ipsius, alias enim esset causa causa effectus & effectus causa causæ quod absurdum. Illa autem causa, à quâ in esse dependent, aut est prima aut secunda. Si prima, habemus quod volumus; illam enim vocamus DEUM, qui scilicet est causa rerum omnium. Si secunda, tum in ordine causarum eò usq; progrediendum donec pervenit ad primam causam. Si ad primam causam pervenit, quæ non est causata ab aliò, tunc illa prima causa est primum illud sumnum & nobilissimum Ens, quod DEUS dicitur. Sicuti jam opifices plerumque noscuntur ex opificiis, Quis enim inspectâ tabulâ vel statuâ non statim intelli-

git pictorem? Quis vestibus, navibus, domibus inspectis non cogitat textorem, cæmentarium? Item dum aliquis audit urbem, cuius bene constituta sit Respubl. ornataque pulchris legibus, quid aliud credat quam bonos ei Magistratus præesse? Sic qui venit in hauc veram Megalopolin, mundum videlicet, videns terræ mundana & campestria plena stirpibus & animalibus, amnibus perennibus & torrentibus, pabulis & maritimis subvectionibus, tum aëris tempestiem & mutationes vicesque annuas temporum, ad hæc solem lunamque noctis atque diei principes, cæteraque sidera vel fixa vel erratica, totiusque choreas & ambages: nonne verisimilem atque adeò necessariam cogitationem de horum Patre, conditore atque rectore concipiet? Nullum enim artificiosum opus sponte provenit. Mundus autem artè summâ factus est, dubiò procul à conditore optumô ac perfectissimô. Ita jam esse DEUM percipimus.

§. 5. Verum enim vero, ut hoc ita sit, ut omnis creatura, quamcunq; etiam aspicimus, fulguret notitiam DEI & ex Creaturis Creator agnoscat; reperiuntur tamen hodie proh dolor! nonnulli, quibus ratio in transversum rapta & facultas aliud ab aliò discernendi, aliudque ex aliò colligendi in abusum traducta, qui profitentur non esse DEUM & huic argumento datore reclamare non erubescunt dicentes: *Etiamsi omnia Entia dependentia dependerent ab aliquà primâ causâ, exinde tamen non sequi Eam causam esse DEUM, qui sic unus, aeternus, infinitus, incorporeus, sed individuum aliquod vagum ac incertum, quod possit esse Natura.* At vero non est, ut propterea abnegemus DEI existentiam; etenim per Naturam aut intelligunt Naturam Naturantem, aut Naturam Naturatam. Si Naturam naturantem, tunc ultrò cum ipsis consentimus, quippe cum Natura naturans sit illud ipsum Ens, à quo omnia dependent, ipsum vero à nullō aliò sit,

fit, adeoque primum ac independens Ens. Si vero per Naturam intelligunt Naturam naturatam, quae principium movendi & quiescendi est in eō, in quo est primum per se & non per accidens, tunc Natura illa naturata aut est à se aut ab aliō; Si à se tunc semetipsam produxit, quod a' Gm', cum nihil sui ipsius sit causa positive. Si ab aliō, Ergo non erit prima, sed ista alia erit prior, quae fuit DEUS.

§. 6. Notanter dixi, nihil esse sui ipsius causam positive: Nam ipsi Athei, quae sterigi, objiciunt, quod nihil sit causa sui ipsius, Arist. lib. 2. Phys. c. 3. hinc ita ratiocinatur: Quicquid est à seipso, illud est causa sui ipsius, DEUS est a seipso; non enim habet aliam causam superiorem. Ergo DEUS est causa sui ipsius, quod absurdum esse putant ideo, cum impossibile sit, ut aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic prior & posterior esset seipso. Resp: Tō esse à seipso bifariam sumi potest. I. Positive, prout idem est ac influere esse in seipsum, vel dare sibi met ipsi esse aliquid. II. Negative, prout, esse suum non habere ab aliō, seu aliam sui causam non agnoscere. Jam dicimus, DEUM non esse à semetipsō positive, ita ut sibi met ipsi esse quoddam dederit per influum quendam realem, sic enim nihil potest esse sui ipsius causa. Est tamen à seipso negative, hoc est, esse suum non habet ab aliō, & sic potest aliquid esse causa sui ipsius negative, nam ad negationem essendi ab aliō, non requiritur positivus inflatus in esse à seipso.

§. 7. Secundò DEI existentiam probant ex interno conscientiae testimonio. Tum enim probi gaudent recte factis, malo vero, quamvis nullam hominum vim ultricem metuant, tamen suæ in probitatis intus & apud animum suum convicti expavescunt, hoc ipso convincuntur esse aliquid Numeri supremum, quod & remuneret bonos & in malos puniat. Hoc ipsum judicium de bene & male factis sive  
consci-

conscientia aut hominibus ipsis indita est ab ipsis hominibus, aut ab aliō quōdam. Non ab ipsis hominibus, quid enim opus esset, ut vitia sua obvelare, malefacta ctiam calculum patrata omnibus modis excusare eniterentur? Ergo erit ab aliō quōdam, scil. ab eō, à quō etiam homines originem traxerunt suam. Propterea fit, ut scelera etiam occulte & ad nullius notitiam delata animos delinquentium vellicent & urgeant. Aspice quæso Neronem, quantis fuerit agitatus furiis, quantis accensus roedis, qui tamen Senecā Moderator atque omnibus superior & legibus duodecim tabularum exemplus? Considera Caligulam, quām minatus fuerit ille cœlo & cum Jove contenderit, si tempestas ipsi non ad nutum esset! tamen ubi fulgurabat aut coruscabat, tum caput obnubebat, & sese sub lectum condebat. En magnum & fortissimum Heroem! qui antea DEO bellum indicebat, nunc verò cum DEUM arma somere audit, de manibus ipsius fugit, seseque sub plumas abscondit. Immo totō die ferè fit, ut multi ob stimulos conscientiæ fauiciant seipso ex numerō hominum ejicient & ex finibus humanae naturæ exterminent, sibique ipsis violentas inferant manus & ita poenam summi judicis effugere autument. Quō ipso patentur se DEUM aliquem ut summum judicem agnosceret, in cuius potestate sit malos punire, bonos verò præmiis & honore afficere.

§. 8. Sed hīc iterum habent, q̄ii Atheismum profittentur, quod reponant dicentes, hoc argumentum ex conscientiæ testimoniō petitum infirmum esse ideò, quia plerumque imò semper falsorum DEORUM cultores conscientiæ morsu angantur, si DEIS suis debitum honorem non tribuerint, aut aliud quid poenâ dignum admiserint. Resp. Consequentia illa falsissima est. Quemadmodum non sequitur, febricitanti amarum est, quicquid exhibueris & consequen-

quenter errat in cibô sapidissimô; E. sensus amari ex amarô  
cibô non est sensus verus amari. Ita non procedit: Morsus  
conscientiae in fallorum Deorum cultoribus fallit; Ergo fal-  
lit etiam in illô, qui procul est ab illâ mentis ægritudine.  
Magnum igitur discrimen inter Superstitiosos seu Gentiles  
& inter Atheos intercedit. Athei nituntur & audent illum  
morsum interni vermis inhibere, sufflaminare & è pectorc  
expugnare, nec tamen, quicquid vox exterior sonet, quic-  
quid malitia interior moliatur, possunt. Superstitiosi tamen  
debitâ diligentia adhibitâ omnem illam functionem ex ani-  
mô extirpare queunt. Hinc factum est, ut multi è Gentilismô  
ad veram religionem, Christianismū scilicet, conversi, mor-  
sum illum conscientiae actu deposuerint.

§. 9. Tertiâ existentiam Dei probat universalis & perpe-  
tuus omnium populorum consensus: *Nulla enim gens tam*  
*est barbara, tam effera, que non cognoscat esse Deum,* inquit Cí-  
cero l. i. de natur. Deor. Arist. l. i. de cœlô: πάντες γὰρ αὐ-  
τοὶ φύσις Θεῶν ἔχοντες τὸν λόγον. Et Seneca Epist. II. 7.  
*Nulla gens adeò extra leges moresque est projecta, ut non aliquos*  
*Deos credat.* Scilicet sensus divinitatis naturaliter omnibus  
insitus tam efficax fuit in Gentilibus, ut quidvis potius etiam  
infra hominis naturam positum, *Deum esse*, quam nullum es-  
se Deum, statuerint: Hinc Philippus Mornæus librô de Verit.  
Relig. Christianæ recte dixit: Omnes gentes Deum didice-  
runt, et si diversa de eō conceperint: percurre enim orbem  
ab ortu ad occasum, à Septentrionibus ad Austrum: perlustra-  
mente quotquot accesserunt secula; quotquot viguerunt  
regna, ipsa demum scrutare barbarorum sive lustra, sive ma-  
palia; ubique homines inveneris, ibi continuo religio-  
nis & Numinis cultum, ibi Sacrorum ritus, preces denique  
& sacrificia reperies, diversa quidem hæc & confusa, at in eō  
saltem congruentia, quod Deus sit. Hæc Mornæus. Quòd facit,  
B quòd

quod referunt de Aristotele, quem in fine vita ita exclamas-  
se ajunt: *Nudus veni, anxius vixi, quod vadam nescio. O Ens En-  
tium miserere mei.* Et Eusebius præparat. Evangelica testatur,  
præ foribus templi Delphici palam scriptum fuisse hoc ver-  
bum græcum: *Ei.* Ingredientes enim templum ab Oraculo  
moniti sunt. *Nosce te ipsum.* Cui respondebant homines: *Ei  
Tu es.* Atque sic soli D E O ipsum esse etiam gentiles fate-  
bantur.

§. 10. Reperti quidem fuerunt & proh dolor! adhuc  
hodiè multi reperiri dicuntur, qui Atheismum, quem sy-  
nechdochicè etiam Cyclopismum vocant, quod Athet Cyclo-  
pum instar nullam pietatis & curam honestatis habeant, fo-  
verunt & de Dei existentia dubitarunt. Hoc fecisse dicun-  
tur Diagoras & Theodorus Cyrenensis teste Plutarcho; i-  
dem Dionysius Syracusanus, teste Valerio Maximo, qui lib. I.  
cap. I. de eō sic testatur: *Omnia satrilegia sua iocosis dictis pro-  
se qui voluptatis loco duxit. Derrado Jovi Olympio magni pon-  
deris aureo amiculo, quo eum Tyrannus Geta è manubii Car-  
thaginiensibus ornaverat, injectoque ei lanceo pallio dixit, astate  
grave amiculum aureum esse, hyeme frigidum; lanceum autem  
ad utrumque tempus anni optius.* Idem Epidauri Æsculapiobar-  
bam auream demī jussit: quod affirmaret non convenire Patrem  
Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspicere. Idem mensas ar-  
gentreas & aureas è fanis sustulit, quodque in his more Gracia  
scriptum erat, bonorum Deorum eas esse, uti se bonitate eorum  
prædicavit. Idem victorias aureas, pateras & coronas, qua si-  
mulachrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat & eas se  
accipere non auferre dicebat, per quam stultum esse argumentan-  
do, à quibus bona preciamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Qui-  
bus annumerandi sunt illi, qui peculiari nomine se vocari  
gaudent, de grues, quò scilicet innuunt, se non esse grues, id  
est, non faciliè falli. Vocantur itidem *Esprits forts*, quod scili-

ccc

et confirmati sint ad nihil amplius credendum, sive quod ad perfectionem nihil credendi jam pervenerint. Horum numerum in Gallia excreuisse ad 60000, & Lutetiae anno 1613. 50000. inventos esse testatur Theophilus Spizelius Scrut. Atheism. p. 26. Et illi sunt, de quibus Mersennus in prefat. ad Johan. Frideric. de Gondy Archiepisc. Paris. scribit: *Quod ejusmodi Athei insanis interrogationibus & spiculis tartareis à Cacodamone fabricatis fideles sic aggrediantur: Ubi est Deus tuus? cur alium tibi fingis præter rationem? an Numen aliquod abest, si sit prudentia? numquid omnis cultus ideo factus est, ut populus in officio continetur?*

§. II. Atheismum indirectum & quidem practicum fo- vere videntur isti, quos Gisbertus Voëtius in Disp. de libert. prophetandi Naturalistas & Civiliter Honestos vocat, qui solum lumen Naturæ ad consequendam vitam æternam sufficere, adeoque omnem revelationem superfluam esse acriter contendunt & delirant. Quam opinionem multi in Angliâ fo- vent, inter quos est EDOARDUS BARO Herbert de Cherbury, cuius nugas sufficientes Theologi nostri, præprimis Magnificus Dn. D. Johannes Musæus & Dn. D. Gerhardus Titius disputationibus jam dudum orbi eruditio communicatis dispulerunt. Deinde eundem fovent Neuteristæ seu Neu- trales, qui indifferentes sunt ad cujuscunque religionis suscepionem & professionem, qui que religione utuntur, ut nummò, modò ajunt, modò negant, simulant, dissimulant. Quò referendi sunt hodierni Deistæ in Gallia, qui Deum absque providentiâ fingunt & omnia, quæcunque de Deo tam Sacrae, quam profane Literæ continent, pro fabulis habent; itidem Enthusiastarum, Trementium seu Quakerorum colluvies.

§. III. Quicquid tamen sit de hâc Atheorum colluvie, existi- mamus tamen vix integros populos reperiri posse, penes quos

B 2

nul-

mulum religionis extaret vestigium, quodque nullum sensum aut suspicionem Divinitatis haberet. In uno autem atque altero homine possunt principia nobiscum nata interdum ita deleri, ut eō malitiæ abeat, quò perneget Dei existentiam. Sic anno hujus seculi 17. Tolosæ exustus est Julius Cæsar Vaninus, Neapolitanus, Philosophus ac Medicus, qui lib. 4. de animali Naturæ, omnem Dei existentiam tollere est conatus, quod potius scripsisse videtur, quam verè sensisse, ut pertinaciæ suæ daret signum immotum, quod & de aliis plerumque Atheis dicendum esse videtur, ut ore negent Deum, corde tamen fateantur, idque faciant, ut pertinaciâ suâ alios in admirationem rapiant.

§. 13. Quartò existentiam Dei contra Atheos probant ex lib. I. Ethic. cap. I. ubi summus Philosophorum Princeps Aristoteles fatetur, quod omnia agant propter finem. Hinc etiam bruta animantia suas propter finem instituunt actiones; Jam verò finis omnis notus debet esse illi, qui propter finem operatur, ut media ad finem ducentia ipsique proportionata possit eligere; Brutis verò ignotus est finis, quippe quæ ob finem formaliter agere non solent, nec media ad finem illum ducentia eligere valent & tamen per legitima media finem consequuntur suum. Necesse itaque est, ut detur causa aliqua superior, quæ bruta ita dirigit & disponat, ut legitima media primum apprehendant, perque illa fini potiantur. Argumentum potest esse tale:

*Si bruta etiam agunt propter finem & quidem per certa media, sequitur, quod alia causa sit, quæ bruta impellat, ut ita agat.*

*Antecedens est verum E. & consequens.*

Antecedens probat Philosophus lib. II. Phys. cap. VIII. & ipsa experientia testatur: Aves enim componunt nidos, ut habe-

habeant aptum ad pariendum locum & ovā quam facillime serventur, ex quibus pullos excludere volunt. Imò tam singulares & admirabiles quorundam animalium sunt proprietates & sagacitates, ut multos in admirationem rapiant. Quicquid tamen faciunt, illud omne beneficio instinctus naturalis præstant, qui nihil aliud est, quam actus phantasie seu estimativae, secundum quam positō phantasmate talis rei brutum judicat hoc esse sibi vitandum, aut appetendum absque ullō tamen discursu & ratiocinio, sed solūm simplici cognitione. Consequentia autem majoris probatur inde, quia agete propter certum finem per certa media est solius Creaturarū intelligentis, quippe quæ finem formaliter agnoscere potest, & de mediis ad finem ducentibus judicare, unumque præ altero eligere valet. Qvum itaque bruta intellectu & ratione destituta cernantur, non possunt etiam media fini proportionata eligere; necessariò igitur causa erit, quæ bruta ista ad finem per legitima media consequendum moveat & adducat. Stat ergo firmo talo Conclusio.

§. 14. Quinto existentiam Numinis Summi contra Aetheorum colluviem probant contraria illa, ex quibus mundi hujus machina conflata cernitur, quæ tamen per ea non laxa fuit, sed in hunc usque diem integra servatur. Sic calor frigori adversatur, frigus iterum calori; ignis aquæ contrariaatur, aqua iterum igni; humidum arido ruinam minatur, aridum iterum humido. Idcirco necesse est, ut detur aliquod Ens, quod contraria ista, ex quibus mundus hic compositus est, ita dirigat, ne se invicem tollant, & per consequens mundum ipsum destruant. Si enim contraria ista, per quæ mundus conservatur, sibi reliquerentur, unum alterum destrueret; sed cum contraria ista unanimi quasi consensu mundum hucusque conservaverint & illud ipsum ex se facere non potuerint, sequitur irrefragabiliter, quod ab aliō Ente,

summo ad id præstandum coacta fuerint. Sic mundus est corpus mixtum compositum scilicet ex quatuor Elementis, Aëre, Igne, Aquâ & Terrâ, quæ sibi invicem ruinam minantur. Quod si una pars ab aliâ prorsus everteretur, nimirum si ignis aquam, vel aqua ignem superaret & extingueret, mundus hic quoad essentiam non maneret integer, sed deficiente uno elemento evaderet mutilum quoddam, quod absurdum esset. In hunc usque diem itaque per contraria ista in esse suô conservatus est. Ex sese autem conservationem istam contraria non procurarunt, cum alias contra naturam egissent; erit igitur aliud, quod ipsa moverit, ut ipsis nolentibus nihilominus mundus hic in esse suô conservatus fuerit. Illud ipsum verò Ens est Summum Numen sive Deus Ter Opt. Ter Maximus.

§. 15. Verum enim verò cum mentio facta fuerit contrariorum, non possumus non quorundam Atheorum adducere argumentum lubricum, quô existimant omnem DEI existentiam destrui posse: sic enim argumentantur: Si Deus est, qui infinitæ bonitatis & perfectionis esse creditur, sequitur in mundo nullam malitiam aut imperfectionem reperiiri posse, cum unum contrarium, præsertim infinitum, necessariò alterum totaliter destruat. Resp. negando consequentiam. Nam oppositum non excluditur formaliter ab altero oppositō, nisi ē subjecto, in quō alterum eorum jam existit. Atque sic Deus omnino per suam infinitam & perfectissimam bonitatem excludit à se omnem malitiam ac imperfectionem. Effectivè autem non tenetur excludere omne sibi oppositum ē mundo; sed potest permittere mala & ad bonos fines ea referre, dirigere ac ordinare. Inde Boëthius l. 4. consol. Phil. Prof. 6. ita inquit: *Nam sola est divina vis, cui mala quoque bona sunt, cum eis competenter utendo, alicujus boni effectum.* Ordo enim quidam sunt a complectitur, ut quod ab aliis signa

signata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in aliud, tamen  
in ordinem relabatur, ne quid in regno providentiae liceat teme-  
rati.

§. 16. Dicis: Deum esse nullum modum posse demonstrari, cum  
sit propositio per se nota, & ita firma, ut ejus contrarium,  
scilicet nullum Deum esse, cogitari non possit. Ad hoc re-  
spondemus Thomam i. part. Summa Theol. qu. 2. art. 2. concl. I.  
propositionem per se notam dividere in *per se notam secun-*  
*dum se* & *per se notam quoad nos*, in quam divisionem acriter  
invehuntur Scotus & Nominales. Dicitur autem propositio  
*per se nota secundum se*, in qua prædicatum est de ratione & es-  
sentiâ subjecti. *Per se nota quoad nos* vocatur, cuius verita-  
tem simul ac terminos apprehendimus, absque interveneri  
discursus vel medii termini assequimur. Jam quidam sunt,  
qui volunt hanc propositionem: *Deus est: esse per se notam*  
*secundum se & quoad nos*. Ita Albertus part. i. tr. 4. membr. 4.  
Ita Thomas cit. l. & qui eum seqvuntur. Gregorius de Va-  
lentiâ in Thomam c. l. adhuc aliam refert sententiam eo-  
rum scil. qui dixerunt hanc propositionem: *Deus est: non*  
*esse per se notam neque secundum se neque quoad nos*. Hanc  
sententiam tribuit quidam Scoto quoque, sed mens Scotti, hæc  
non est. Docet is *Deum esse*, sub propriâ & quidditativâ ratio-  
ne esse propositionem per se notam, imò notissimam, sed  
non *quoad nos*. Thomas sententia nus hîc subscribimus. Et  
(1) quoniam in hâc propositione *Deus est*, prædicatum con-  
venit subiecto immediate, propositio illa est per se nota *secun-*  
*dum se*. (2) Quia de Deo nihil cognoscimus absque interven-  
tu Discursus (nam quocunque naturaliter cognoscimus, id  
omne ductu sensuum cognoscimus juxta illud Philosophi 3.  
de Animâ: *Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu,*)  
hæc propositio, *Deus est*, non est per se nota *quoad nos*.

§. 17. Hîc communiter solent distinguere inter notitiam  
Dei

Dei insitam seu connatam & acquisitam. Insita seu connata  
rursus non unō modō ab Autoribus explicatur: quidam enim  
intelligunt eam h. m. quod in ipsā hominis nativitate intel-  
lectui hominis inseratur notitia hujus propositionis: *Deus*  
*est*, sitque ea menti actu quasi inscripta. Verum hæc senten-  
tia dudum explosa est & ostensum nullas dari hujusmodi  
notitias connatas, unde Aristot. lib. 3. de anim. eleganter di-  
sputat: Animam seu intellectum esse instar nudæ tabulæ, cui  
nihil sit actu inscriptum, quidvis autem inscribi posse. Alii  
verò notitiam innatam Dei seu insitam dicunt, non quod  
actu statim in principiō nativitatis insit & cum ipsā naturâ  
ejus incipiat, sed quod potestate insit & quidem potentia  
proximâ, ita ut statim cum ratio sese exerere incipit, pro-  
positionis hujus, *Deus est*, veritatem deprehendat sine di-  
scursu ulteriori, & ita dicuntur alias principia nobiscum  
nata prima. Interim tamen difficile est probare dari tales  
insitam seu connatam DEI notitiam, & quidem difficultas  
provenit ex hoc, quod DEUS non cadat sub sensum  
vel sub naturalem mentis cognitionem, nisi quatenus ex  
creatione cognoscitur. Est enim Deus Spiritus simplicissi-  
mus, & impossibile est, ut humana ratio penetret ejus cogni-  
tionem, nisi ex effectibus; at verò omnis cognitio, quâ ex ef-  
fectu præcognitô cognosco causam, nimirum discursu & est ac-  
quisita, non connata. In hoc enim opponuntur notitia con-  
nata & acquisita, quod notitia connata seu insita insit intel-  
lectui sine discursu; acquisita verò nitatur discursu, & in-  
terventu rationum seu probationum hominis studiō acqui-  
renda est. Hoc quidem verum est, quod quando homo audit  
hanc propositionem, *DEUS EST*, statim ei assentiatur sine  
discursu, sed de hoc dubitari potest, utrum assentiatur huic  
propositioni propter suam evidentiam, an verò quod à Pa-  
rentibus vel Preceptoribus suis ita à juventute suâ ita sit in-  
stitutum.

stitutus. Solent enim homines ex testimonio Parentum hinc  
tire & quasi cum lacte materno imbibere quædam, ut adeo  
promptè illis assentiantur, ac si essent per se nota.

§. 18. Sexto nonnemo in demonstranda Dei existentiā,  
hōc modō & hisce verbis procedit: Duas homini Atheo c-  
nunciationes formaliter contradictorias proponemus  
hasce:

*Omne Ens est dependens,*  
*Quoddam Ens non est dependens.*

Quarum alterutram necessariō admittere cogetur cum im-  
possibile sit utramque vel simul veram, vel simul falsam esse.  
Quamcunque autem admiserit, captus erit; & vel nostram  
sententiam probabit, vel suam rationi ipsi, quā tamen se præ-  
ditum esse non negat, adversari deprehendet.

§. 19. Non potest autem vera esse prior illa universalis  
affirmans, quia si omnia entia dependentia essent, & in illō  
ordine dependentiæ ad ultimam tandem non deveniretur,  
querendum vicissim esset de totō illō rerum dependentium  
collectivè sumptarum cumulō, utrum esse suum habeant ab  
aliō aliquō ente, quod extra dependentium numerum esset,  
anon? Si prius dixerint Adversarii; habebimus quod vole-  
bamus: nam illud ipsum Ens, quod extra dependentium o-  
mnium numerum est, DEUM appellamus. Si posterius asserue-  
rint, vertent statim hypothesin propriam, & negabunt de-  
pendere, quæ paulò antè dependentia esse omnia statuebant.  
Ne nunc Scoti illud argumentum operosè urgeam, qui part.  
I. dist. 2. q. 2. ait: datō processu in infinitum in dependenti-  
bus, dari infinitum superius & consequenter in infinitum  
perfectius, atque id ipsum DEUM esse; aut si illud non detur,  
non dari etiam processum in infinitum, atque sic iterum hy-  
pothesin ipsam everti.

§. 20. Si dicant res omnes à se invicem dependere non

C

per

per modum linea recta, sed per modum circuli; jam se-  
lentio obligant, ut solvant quadrantem. Cum enim id, quod  
dependet, imperfectius sit eō, à quō dependet, si duo aliqua  
entia à se invicem dependerent, sive id mediatae, sive imme-  
diatē fieret, utrumque horum entium simul ac semel perfe-  
ctius fuerit seipso & imperfectius: perfectius quidem, qua-  
essentiam largitur, imperfectius, quia eandem accipit alteri-  
que debet: quō quidem absurdius magisque ridiculum exco-  
gitari nihil potest.

§. 21. Cum ita Dei existentia fuerit demonstrata, ad  
primum ejus conceptum properamus: notum enim esse reor  
DEO plura prædicata pluresque conceptus competere, non  
autem omnes ei competere & quē primō quoad nostrum sci-  
licet concipiendi modum, quamvis conceptus eōdem modo  
competant ipsi quoad rem; Unus igitur ex illis conceptibus  
illi competit primō h. e. ita, ut non possit dari ratio à priori,  
cur talis conceptus ipsi insit. Atque hic primus Dei conce-  
ptus dicitur essentia ejus, item ratio formalis. Parili modo  
in Quantō dantur plures conceptus, nempe Extensio, Divisi-  
bilitas, Mensurabilitas; sed hi conceptus non omnes & quē  
primō competunt Quanto, sed primus inter illos est exten-  
sum esse, ex hoc fluit conceptus divisibilitatis, & ex divisibi-  
litate conceptus mensurabilitatis. Ex eō enim, quod aliquid  
est extensum in partes sequitur, quod divisibile sit in partes,  
& ex eō, quod aliquid divisibile est, sequitur quod sit mensu-  
rabile. Ita in Deo plures dantur conceptus, qui secundū  
rem sunt unum & idem, sed non omnes & quē primō DEO  
competunt quoad nostrum concipiendi modum, sed alter  
alterō prior est secundū nostrum modum concipiendi e.g.  
nos immutabilitatem DEI concipimus ut prius quid aeterni-  
tate, & simplicitatem ut prius quid immutabilitate. Nam si  
quaeritur cur Deus sit aeternus, ratio à priori potest assignari,

nem.

nempe quia planè est immutabilis; hīc concipiūmus immutabilitatem ut prius quid, seu ut rationem à priori. Si queritur, cur Deus sit immutabilis, ratio à priori potest assignari, quia scilicet est Ens simplicissimum. Hīc Simplicitas Dei est prius quid seu ut ratio à priori concipiatur. Sicut ergo certum est, aliquem inter conceptus Dei esse primum, ita non una est Autorum sententia. Quinam ille sit?

§. 22. Quidam statuerunt primum conceptum DEI esse VITAM, putantes talis sententiae fuisse Aristotelem lib. 12. Met. c. 7. scribentem: Dicimus DEUM esse vivens, aeternum & optimum, quo circā vita & ævum continuum & aeternum DEO est; hoc enim est DEUS. De eorum numerō est Petrus Hurtadus de Mendoza Disput. Met. 20. sect. 2. n. 21. In hoc (primō) DEI conceptu, inquiens, includi rationem vitæ nullipotest esse dubium, quia DEUM necessariò apprehendimus in aliquâ specie perfectâ, vivens autem est omnium perfectissima: immò & necessariò DEUM intelligimus actualem vitam, unde tale efformatur argumentum: Ille est primus DEI conceptus, qui perfectissimam ejus speciem nobis manifestat: talis est vita ergo hic est primus DEI conceptus. Minor probatur, nam vivens est perfectissima rerum species. Confirmatur. Ille est primus atque constitutivus DEI conceptus, quem necessariò intelligimus intelligendo Deum; sed intelligendo DEUM necessariò intelligimus vitam. E. vita est primus Dei conceptus. Minor probatur, quia omnia in Deo vivunt.

§. 23. Ut hæc sententia Mendozæ eò melius intelligatur, notandum duplice esse vitam, vel in actu primō vel in actu secundō. Vita in actu primō est ipsa natura viventis, quatenus potest esse principium operationis vitalis. Vita in actu secundō est ipsa operatio vitalis. Ultraque dividitur in Physicam, cuiusmodi est in plantis & animalibus, & intentiona-

Iem, quæ si spectetur in actu primō, consistit in principio cognoscendi & appetendi ; quoad actum verò secundum consistit in cognitione ipsâ & appetitione. Cum jam Deo tribuitur Vita, facile dispalescit, quod non intelligatur Physica, sed intentionalis. Probatur hæc sententia, quia vivens intentionale in actu primō nihil aliud est, quam substantia cognoscitiva & appetitiva ; in actu autem secundo cognoscens & appetens actu. Jam verò Deus est cognoscitivus & appetitus & actu ipsō cognoscit E. vivit vitâ intentionalis. Licet autem certum sit DEUM vivere, nondum tamen exinde sequitur, Vitam esse primum conceptum Dei seu à nobis primō concipi in Deo, id quod facile potest probari, quia prius quam concipiamus in Deo esse Vitam, concipimus DEUM esse & existere. Jam ita argumentamur :

*Qui conceptus ita convenit Deo, ut ratione nostrâ oriatur ab alio, is non est primus conceptus DEI & consequenter nec constituit formaliter essentiam ejus in propriâ & quasi specificâ ratione : At qui Vitæ conceptus ita convenit DEO, ut ratione nostrâ oriatur ab alio. Ergo conceptus Vitæ non est primus conceptus ac consequenter nec constituit formaliter essentiam in propriâ ac specificâ ratione.*

S. 24. Quod attinet Aristotelem dicimus eum hoc velle, Vitam & ævum æternum esse DEUM, non verò esse primum Dei conceptum. Philosophus ergo locutus est de identitate reali Vitæ cum Deo, non de prioritate rationis ejusdem respectu aliorum, quæ de Deo dicuntur. Ad argumentum Mendozæ respondetur negando Minorem ; Nam primus ille

con-

conceptus Deum ab aliis dividens est, ex quo cætera de Deo  
inferuntur; sed ex hoc, quod Deus sit vivens, non potest  
quis colligere, quod sit omnipotens, æternus, immutabilis,  
bonus, justus, misericors. Ergo ille viventis conceptus no-  
quit esse primus Dei conceptus.

§. 25. Thomas part. I. q. 14. art. 1. statuit, Scientiam &  
cognitionem esse primum Dei conceptum & sic de essentiâ  
Dei. Probat suam sententiâ, quia scientia Dei est ipsa essentia  
Dei, nec ab eâ realiter differt. Hanc sententiam quoque de-  
fendit Aureolus & Biel. Verum hæc sententia cum priori  
coincidit. Nam Vita DEI consistit in cognitione, unde eò-  
dem, quô prior, fundamento hæc quoque sententia rejicitur,  
nimirum, quia Scientia & cognitio habent priorem conce-  
ptum, qui est nō esse, vel à seipso esse, ultrò patet, quod Scien-  
tia non sit primus conceptus, nec de essentiâ DEI. Probatio  
Thomæ nulla est; ad hoc enim ut aliquid sit primus rei con-  
ceptus & de essentiâ, non sufficit, si in re ipsa sit idem cum es-  
sentia, sed requiritur insuper, ut primò concipiatur in re illâ,  
quod de Scientia dici non potest.

§. 26. Tertiò sunt, qui existimant omnia prædicata DEI  
absoluta, nempe justitiam, misericordiam, bonitatem & alia  
esse de essentiâ Dei & primum Dei conceptum. Quæ sen-  
tentia tribuitur Patribus, eamque defendit Suarez Disp. Metaph.  
30. scđ. 6. n. 5. Pro hæc sententiâ militant sequentia argu-  
menta: (1) Deus ex seipso est Ens essentialiter summè perfe-  
ctum. E. includit omnem possibilem perfectionem & sic et-  
iam attributa continentur in Deo, ut sint de essentiâ ejus. (2)  
Perfectiones non sunt in Deo, ut aliquid accidentale, E. ut a-  
liquid essentiale, & consequenter in iis consistit essentia Dei.  
(3) Sicut essentia Dei est in re ipsa, ita à nobis est concipi-  
da, jam verò in re ipsa essentia Dei est idem quid cum suis at-  
tributis, ea que involvit. E. eodem modò à nobis debent con-  
cipi, ut scilicet in essentiâ concipiamus ipsa attributa; E-

C 3 . MUNDI pri-

primò concipiuntur in D E O & sic erunt de essentiā  
DEI.

§. 27. Antequam ad hæc respondeatur, præmittendum est  
tria requiri ad cuiusque rei essentiam. Primum est, ut *primo*  
*concipiatur in re* vel ut sit primus rei conceptus. Secundum,  
ut sit rei adæquatus, eamque ab omnibus aliis rebus distin-  
guat. Tertium, ut *principium & radix* sit omnium attribu-  
torum & accidentium. Sic hominis essentia cōsistit in eo,  
quod est animal rationale, hoc enim primò omnium in ho-  
mīne concipimus. Deinde per hoc ipsum etiam homo ad-  
quatè distinguitur ab aliis rebus omnibus. Tandem ex eodem  
fluunt omnes hominis proprietates. Jam ad singula respon-  
debimus, nempe primò negamus, quod hæc sententia sit Pa-  
trum; ipsi quidem docent, quod Deus sit summa bonitas, ju-  
stitia & sic de reliquis & quod attributa DEI sint idem cum  
essentiā, sed non docent, quod sint de essentiā & primus con-  
ceptus seu quod primò concipientur in Deo: Res potest de-  
clarari exemplo: In Quantitate Extensio est ipsa divisibili-  
tas, mensurabilitas, & hæc inter se habent identitatem, non  
tamen sequitur, quod is qui hoc statuit, statuat etiam divis-  
ibilitatem esse de essentiā Quantitatis vel primò in eō conci-  
pi. Parili modo inter essentiam Dei & attributa in reipsā  
summa est identitas, sed qui hoc statuit, non statim admittit  
attributa esse de essentiā, aut primò in DEO concipi, cū  
concientur potius à nobis, quasi ex primò conceptu seu  
essentiā fluant. Deinceps Suarez, qui hanc sententiam defen-  
dendam suscepit, sibi ipsi adversatur, docet enim, quod pri-  
mus Dei conceptus seu ratio essentialis in hoc consistat, quod  
Deus sit primum Ens à se existens. Stante autem hæc senten-  
tiā Suarezii cadit altera, quod attributa Dei sunt primus con-  
ceptus in Deo. Nam si primò in Deo concipio, quod sit Ens  
à se existens, ultrò sequitur, quod primò in Deo non conci-  
piatur justitia, nec Scientia, nec potentia, nec bonitas, nec  
aliud attributum.

§. 28.

§. 28. Ad (1) argumentum Resp. concedendo totum, quod scilicet Deus includat omnes perfectiones quoad rem. Hoc verò non sufficit, quia ad hoc, ut omnia attributa DEI absoluta sint primus conceptus & essentia Dei, requiritur, ut à nobis etiam in Deo primò concipiatur, quod quia non sit, attributa quoque Dei ad essentiam non pertinent. Objec-  
tis: Essentia divina est infinitè perfecta. E. omnes perfe-  
ctiones & sic etiam omnia attributa includit. Resp. Si hic est  
sensus, quod essentia divina includat omnes perfectiones  
quoad rem ipsam, conceditur totum argumentum. Exinde  
autem non sequitur quod omnes perfectiones & ipsa attri-  
buta spectent ad essentiam & primum Dei conceptum, cùm  
insuper requiratur, ut à nobis quoque primò in Deo concipi-  
antur. Sufficit igitur, si essentia Dei infinitè perfecta inclu-  
dat omnem perfectionem in genere essentiæ, dum scilicet  
accipitur ut radix attributorum omnium. Non autem re-  
quiritur ad infinitatem & perfectionem essentiæ Divinæ, ut  
secundum nostrum concipiendi modum includat omnes  
perfectiones attributorum, quia perfectiones attributorum  
non sunt perfectiones in genere essentiæ, sed in genere attri-  
butorum, adeoque essentiæ sunt posteriores.

§. 29. (2) Resp. Si accidens & accidentale paulò latius  
sumuntur pro omni eō, quod secundum nostrum concipiendii modum est extra primum rei conceptum, absurdum non  
est, perfectiones & attributa Dei esse accidentia, cùm à nobis  
non concipientur primò in Deo. Sunt autem, qui hīc distin-  
gvunt & duplex faciunt accidens (1) Physicum, (2) Meta-  
physicum. Physicum realiter distinctum esse dicunt ab eo, cu-  
jus est accidens, unde & imperfectionem importare putant  
& consequenter realem compositionem, ut scilicet id, quod  
ex subjecto & tali accidente compositum est, realiter sit di-  
stinctum. Metaphysicum autem dicunt non esse realiter di-  
stin-

stinctum ab eō , cuius est accidens , nēc imperfectionem seu realem compositionem importare ; sed in eō tantūm consistere , quod extra rei essentiam & primum conceptum à nobis concipiatur .

§. 30. Ad ( 3 ) Resp. negando majorem ; ratio negationis est , quia essentia Dei est una simplicissima Entitas , quam intellectus noster hāc in vitā non potest adæquatè totam unō conceptu apprehendere , unde eam quasi dividit in plures conceptus , quorum unus est primus , qui dicitur essentia , reliqui vocantur attributa . Nec est , quod dicas , tales conceptus sic fore falsos , quia aliter essentiam Dei repræsentat , quemadmodum in se est . Resp. negando consequentiam : sicut enim veritas , ita & falsitas pertinet tantūm ad secundam mentis operationem & est in integris propositionibus , non vero in simplicibus conceptibus : tales verò conceptus , qui de Deo formantur , sunt simplices conceptus & consequenter in se nullam habent falsitatem .

§. 31. Denique sunt , qui primum & essentiale Dei conceptum esse dicunt τὸ ἔσται ἡτού σεu ἡτού ἔσται συβιστης ; Quæ sententia inde probari potest , quod huic prædicato ἔσται ἡτού omnes conditiones convenientes , quæ in eō requiruntur , in quō essentia rei consistit . Nam primò omnium hoc in Deo concipiamus , quod ἡτού sit , & non ab alio : per hoc enim Deus ab omnibus aliis distinguitur rebus : & denique ex eo , quod Deus ἡτού sit , promanant cætera , quæ in ipso sunt . Unde fluit argumentum :

Quod primò in Deo concipitur , & primò Deum distinguunt ab omni alio , quod non est ipse , atque adeò se ita habet , ut ex eō , nostrò intelligendi modo , reliqua prædicata oriuntur , quæ in Deo sunt , in illo consistit essentia Dei nostrò concipiendi modo .

Jam

Jam esse à se primò concipitur in DEO & eum distinguit ab omni aliò, quod non est ipse, ex eò quoque nostrò concipiendi modò reliqua prædicata oriuntur, quæ in DEO sunt. Ergò in illò, quod DEUS à se sit, consistit essentia ejus, nostrò concipiendi modò. Major patet: Minor probatur, quia esse à se ita DEO inest, ut cur insit, ratio à priori non possit dari: deinde soli DEO inest, & quicquid non est DEUS, est ab aliò: denique ex eò, quod DEUS à se est, benè sequitur, quod sit æternus, quod omnipotens, quod intellectivus.

§. 32. Ne autem aliquis oggerat, etiam attributa DEI esse à se, quæ tamen non esse primum conceptum DEI supra diximus, idcirò determinandum putant illud esse à se per prædicatum aliquod particulare, ut ita simpliciter primum sit; quod in DEO concipitur, non solum re, sed etiam ratione nostrâ. Hujusmodi autem prædicatum dicunt esse *Ens à se subsistens*. Quod sane ita proprium DEI est, ut ab essentiâ ejus ratione nostrâ excludat omnia attributa ejus.

§. 33. Objicis: Filius DEI non est à se, sed à Patre, sicut Spiritus S. est à Patre & Filiò; at verò tum filius, tum Spiritus S. est verus DEUS. E. essentia DEI non est esse à se ipso. Resp. cum essentia DEI constituitur in eò, quod à se subsistat, tò esse à se non negat quamvis productionem, sed negat tantum productionem ex nihilo. Licet igitur filius à Patre productus sit, & Spiritus S. à Patre & Filiò, uterque tamen est Ens à se subsistens, quia nec Filius, nec Spiritus S. productus est ex nihilo, quæ productio h. l. excluditur.

§. 34. Ex his facile dispalescit, quod DEUS posset definiri h. m. quod sit *Ens à se subsistens*. In quâ definitione *conceptus communis* est *Ens*, in quô DEUS cum omnibus aliis rebus convenit; *conceptus proprius* verò est *à se subsistens*, quô DEUS ab omnibus aliis rebus distinguitur. Sicut enim quæ-

D

Ibet

libet res in essentiâ suâ ita comparata est, ut partim cum aliis conveniat, partim ab aliis discrepet; ita ad id, ut definitio aliqua sit bona, requiruntur duo conceptus, quorum unus est communis, qui alias *contrahibilis* dicitur, in quo convenit cum aliis; alter proprius, in quo ab aliis discrepat, alias solet appellari *contrahens*, quod communem conceptum ad specialem essendi rationem contrahat. Sic in definitione hominis dicitur (1) quod sit animal, in quo conceptu homo convenit cum brutis. (2) quod sit rationalis, in quo conceptu differt homo à brutis.

§. 35. *Obiectus*: communis ille conceptus semper est Genus, & conceptus proprius semper est differentia strictè sic dicta. Etenim Logicorum filii non pauci statuunt ad omnem bonam definitionem requiri Genus strictè dictum & Differentiam strictè dictam, ceu ex 6. Topic. Arist. c. 4. t. 5. patet, ubi dicitur; *debet eum, qui rectè definit, ex Genere & Differentiâ definire*; unde vulgatissimum illud axioma Logicum: *O. definitio debet constare ex Genere & Differentiâ*. Cum autem Ens non sit Genus strictè dictum, sed communne  $\tau\omega\eta\varsigma \delta\eta\pi\eta\alpha\Phi' \epsilon\nu\sigma\varsigma$ ; ideo hanc definitionem legitimam non esse putant. Resp. Non necessum est, omnem constare definitionem ex genere & differentiâ rigorosè sic dictis; sed sufficere si constat ex iis, quæ se saltim habent ut Genus & Differentia. Ut ita communis conceptus sit vel Genus strictè dictum vel Generi respondeat; Proprius autem vel Differentia strictè dicta, vel Differentiæ in proportione respondeat.

§. 36. Ad locum ex 6. Topic. c. 4. t. 5. adductum Resp. Genus & Differentiam considerari posse bifariam. (1) Ex naturâ rei, prout Genus notat conceptum multis communem, contrahibilem tamen & determinabilem ad inferiora per conceptus proprios & primò distinguentes. (2) Ex media

mentē Philosophi aliorumque Peripateticorum rigidius strictiusque hāc de re scribentium. Posterius præcisè ad definitionem non requiri existimant multi, sed sufficere prius.

§. 37. Contra hanc sententiam nonnulli hōc argumento insurgunt: Si DEUS definitur, erit compositus, nimirum ex illō conceptu communī & propriō, quæ dicitur compositio ex Genere & Differentiā. Consequens est falsum E. & antecedens. Resp. Negatur consequens esse falsum. Hāc enim compositio non repugnat simplicitati seu perfectioni divinæ, quia est rationis & dicit denominacionem extrinsecam ad objectum, quæ nullam arguit imperfectionem in objectō & consequenter nec in DEO. Quod exinde patet, cūm natura extrinsecè denominantium nullam in denominatō mutationem efficiat & compositio ex genere & differentiā ita objectum denominet, ut sit extra illud. E. omnino dicit denominationem extrinsecam. Quod verò compositio illa extra objectum sit, ex eō liquet, quia objectum ex parte sui non habet compositionem rationis.

§. 38. Deinceps nonnulli remoram huic sententiæ injicere conantur hōc argumento: Quicquid non ponitur in serie Prædicamentorum, definiri nequit. Atqui DEUS non ponitur in serie Prædicamentorum E. Minor probatur, quia si DEUS esset in Prædicamento, sequeretur, *eum fore speciem*, quia substantia esset Genus DEI & Creaturarum; at verò absurdum est, tale quicquam DEO tribuere, cūm species sit universale, quod in multis individuis numerō differentibus plurificari potest, id quod repugnat DEO, cum sit unus numerō & essentia singularissima. Resp. negando Minorem, siquidem sanō sensu dici potest, DEUM esse in Prædicamento substantiæ. In Prædicamento enim esse aliquō non est certis includi terminis, aut finitum fieri, sed nihil aliud est, quam sub summō aliquō genere contineri, ita ut de illō prædicetur summum illud genus. Quia ergo de DEO

D 2 præ-

Prædicatur Genus summum, nempe substantia, facile patet, DEUM ad Prædicamentum substantiæ referri posse; h̄c tamen observatō, quod hâc ratione Prædicamentum Substantiæ, paulò latius sit extendendum, quam à Philosopho factum est, ille enim substantias corporeas sicut ad Prædicamentum Substantiæ retulit. Quod probationem Minoris attinet, respondetur negando consequentiam; hoc sicut ad inferri potest: Si DEUS est in Prædicamentō, sequitur DEUM & Creaturas specie differre, quod non negamus. Illa enim specie differre dicuntur, quæ conveniunt in conceptu quôdam genericō sive communi, discrepant autem quoad conceptum specificum sive proprium, sicut gr. specie differunt homo & canis, qui conveniunt in conceptu animalis & discrepant quoad conceptus proprios. Idem dicimus de DEO & creaturis.

§. 39. Sed nondum omnis difficultas est sublata. Etenim quidam ita argumentantur: Si per pauca tantum cognoscuntur de DEO in hâc mortalitate, DEUS non videtur definiri posse. Sed verum est prius E. & posterius. Resp. negatur consequentia; siquidem res definiri solent, prout à nobis cognoscuntur: DEUM autem hâc in vitâ possimus cognoscere, quid ergo obstat, quò minus à nobis definiri & essentia ejus explicari possit, quatenus nimirum hâc in mortalitate cum attingimus. Imò si hoc argumentum quicquam probaret, hoc probaret, quod DEUS actu non definiretur, maneret nihilominus immotum, quod definiri possit.

§. 40. Ita quidem Deus ex ductu luminis Naturæ definiri potest, sicuti ex eòde quadam tenus cognosci potest, sed quod fatendum, cognitio illa imperfecta est & languida. Et quidem imperfecta ratione objecti, pauca enim attingit nec ad mysteria allurgit, aut media salutis homini suppeditat. Deinde imperfecta est ratione modi cognoscendi, quæ enim

naturæ

naturaliter de DEO cognoscimus, obscurius & per argumenta difficiliora cognoscimus. Hinc etiam naturalis cognitio, quia imperfecta est, manuductio saltim homini est potest ad id, ut etiam cultum DEI penitus cognoscatur.

§. 41. *Keckermannus* tamen eò stultitiae & audacia abiit, ut lib. I. syst. Theol. c. 3. statuere non erubuerit, summum Trinitatis arcanum ex ratione percipi & naturalibus argumentis probari posse, quando dicit: *Palam faciemus Trinitatem Personarum promanare ex ipsâ DEI essentiâ, & DEUM, DEUM esse non posse, nisi tres habeat distinctos existendi modos, sive personas.* Philosophatur ipse hunc in modum: DEUS habet perfectissimum intellectum E. etiam objectum ejus debet esse perfectissimum; DEO autem nihil est perfectius, idcirco divini intellectus objectum nullum erit aliud, quam ipse DEUS ideoq; intellectus DEI ab æterno in seipsum rediit a reflexus est: Omnis autem intellectus intelligit per imaginem objecti: Quare & DEUS dum ab æterno semetipsum perfectissime intellexit, concepit ac peperit in seipso perfectissimam imaginem suiipsius: Hanc autem imaginem esse secundam Trinitatis personam dicit. Ratiocinatur porro: cum intellectus divinæ essentiae insit, etiam voluntas inerit, quæ cum sit perfectissima & sic objectum perfectissimum requirat, ideo in seipsum reflectitur & in ipso DEO tanquam infinitè bono acquiescit, & hinc summam voluptatem ac amorem produci necesse est. E. dum æternus Pater imaginem suiipsius, Filium videlicet concipit ac perfectissimam voluptate appetit, necesse est, perfectissimum amorem ac voluptatem plenissimam à Patre in Filium & à Filio in Patrem, tanquam imagine in Archetypum, procedere, atque ita per conjunctum intellectum & voluntatem triusque, tertium existendi modum sive personam in divinâ essentiâ ponit, quæ vocatur Spiritus Sanctus. Hæc Keckermannus.

D 3.

§. 42.

§. 42. Hisce rationibus alii alias addere solent: (1) inquit: Melius esse DEUM ab æterno aliquid produxisse quam otiosum fuisse, E. ab æterno generavit Filium. Deinde (2) regerunt, quod consortium personarum æqualium sit insigne bonum & ad beatitudinem, q: æ omnia bona comprehendit, referatur, DEUS utique beatissimus, illud amat. (3) Una natura humana invenitur in pluribus personis, cur non divina in pluribus personis inveniri poterit? Quò facit, (4) quod DEO numerum ternarium præ aliis placuisse appareat ex vestigiis, quæ ipse etiam creaturis impressit: e. gr. totam rerum universitatem distribuit in tres partes: Quodcunque enim existit, aut est corporale, aut spirituale, aut ex utroque constat. Sic etiam Angeli & anima hominis tribus prædicti sunt facultatibus, memoria, intelligentia & facultate; deinde mens illis inest, ex quâ oritur notitia, ex notitia amor procedit.

§. 43. Sed nugas agit Keckermannus aliique, qui cum ipsô faciunt; Quod enim (1) dicit Keckermannus vi lumenis naturæ deprehendi posse, DEUM per intellectum producere personam absurdum esse inde probo, quia ratio nostra potius oppositum concludit: Nam quando homo intelligit, ratio deprehendit, quod nihil aliud producat, quam accidens. Jam verò, quando DEUS dicitur seipsum intelligere, ratio potius colligit, quod vel accidens, vel omnino nihil producat; non prius, cum in DEUM accidens non cadat. E. colligit posterius, DEUM nihil planè producere. Tantum proinde abest, ut homo ex lumine naturæ cognoscat, DEUM seipsum intellectu suō cognoscendō, personam producere, ut potius contrarium colligat, DEUM seipsum cognoscendo nihil producere. Èdem ratione homo ex lumine naturæ percipit, quod voluntas, quando aliquid vult, producat nil, nisi accidens, nempe actum volitionis. Quando er-

go

gō DEUM ejusque voluntatem considerat, facili modo colligit, DEUM vel nihil producere vel accidens, hoc posteriorius falsum deprehendit, colligit ergo potius, DEUM nihil producere, adeoque nec personam, ut Keckermannus vult, tertiam.

§. 44. Postea aliud absurdum ex sententiâ Keckermannii emerget, nempe: Si homo ductu luminis naturalis cognosceret DEUM PATREM seipsum cognoscentem producere novam personam, eodem modo colligeret, Filium, qui eundem cum Patre habet intellectum, intellectu suo cognoscendo seipsum, producere vel seipsum, vel alium Filium, & quia hic iterum ejusdem cum producente intellectus, ratio rursus concluderet, hunc seipsum cognoscentem adhuc alium producere, & sic progressus in infinitum daretur, quæ omnia de tremendo isthoc mysterio statuere, non tantum absurdum, sed & impium & blasphemum est.

§. 45. Idem de voluntate DEI etiam procedit: Etenim si ratio concluderet ex juncto intellectu & voluntate Patris & Filiī producere tertium existendi modum sive personam, pari modo colligeret, Spiritum Sanctum tanquam tertiam personam, quia ejusdem est intellectus & voluntatis cum Patre & Filio, iterum aliam personam producere & hanc rursus aliam.

§. 46. Denique sunt, qui hujus sententiae absurditatem alio adhuc argumento ostendunt. Si Pater genuit Filium per intellectum, sequitur, quod Filius ad suipius generationem concurrerit, sive quod idem est, seipsum genuerit. Consequens est absurdum. E. & antecedens. Consequentia probatur, quia Filius cum patre eundem habet intellectum, cum eoque est ab aeterno. Si ergo per intellectum est produs, sequitur, quod ad suipius generationem per proprium videlicet intellectum concurrerit. Idem de Spiritu Sancto eodem modo probari posse dicunt.

§. 47.

§. 47. Ad reliquā argūmēta responderē etiam non ērit  
jire per extensum funem. Et quidem ad (1) Resp. ridiculum  
est illud: Melius est DEUM ab æterno aliquid produxisse,  
quam otiosum fuisse. E. ab æterno generavit Filium; Atque  
eādem ratione inferrem. E. ab æterno creavit mundum sive  
hominem. Et sanè DEUS ab æterno non fuit otiosus, ut  
nihil egerit; ille enim dicitur otiosus, qui nihil agit, cum ta-  
men deberet agere; DEUS autem non fuit ab æterno obstri-  
ctus ad aliquid agendum. Ad (2) Resp. consequentiam pla-  
nè lubricam esse. Quæ enim quæso consequentia: Consorti-  
um plurium personarum est bonum quid. E. in divinitate  
sunt tres personæ naturaliter cognoscibiles. Ad (3) Resp.  
Si hōc uti velimus simili, non tantūm tres personæ, sed tres  
DII probabuntur, nam sicut ratio ita colligit; Humana na-  
tura in pluribus individuis datur E. sunt plures homines, quo-  
rum quilibet peculiarem & numero ab altero distinctam ha-  
bet naturam; ita de DEO etiam colliget. Ad (4) Resp. Si ex  
hoc evinci posset Trinitas Personarum, eādem ratione  
quis argumentari poterit, quia numerus Ternarius DEO  
præ reliquis placuit, produxit tres Filios, tres Spiritus San-  
ctos, tres mundos, quod absurdum & ridiculum.

§. 48. Sunt tamen adhuc alii, qui Keckermannī partes  
defendere audent, dicentes, hanc sententiam fundari in  
Sacra Scriptura, quæ rationi ansam præbeat, quâ arreptâ  
naturaliter investigare posset Trinitatem Personarum, ut  
Joh. i. Filius DEI vocatur λόγος, λόγος autem, ajunt, per-  
tinet ad intellectum. De Spiritu Sancto, quod dicatur a-  
mor, amor autem ad voluntatem, manebit ergo teste Scri-  
pturâ, quod Filius per intellectum, Spiritus Sanctus autem  
per voluntatem DEI sit productus: Sed ne in messem alio-  
nam falcem immisisse dicantur, ad aliam cathedram ha-  
remittimus.

§. 49

§. 49. Et hactenus de sententia Keckermannii. Jam bre-  
viter tangenda est illa controversia, quā querunt & inter se  
disceptant Autores, qualis cognitio sit, quā DEUS cogno-  
scat seipsum? Ubi monendum, duplicem à nonnullis statui  
cognitionem: **Comprehensivam** nempe & **Quidditativam**.  
**Comprehensivam** vocant Autores, quā totum illud, quod in  
eō est, circa quod intellectus, ut intelligendum versatur, ab  
intellectu cognoscitur, tām quoad quidditativa, quā m quoad  
ad alia attributa. VEL. Ut alii definunt eam, quā objectum  
intelligibile cognoscitur ita, ut ejus nihil lateat intelligen-  
tem. Quod ut eō rectius percipiatur, dicendum est, quid-  
nam sit comprehendere. Propriè quidem hæc vox rebus  
corporeis videtur competere, transfertur tamen etiam ad  
Intellectum. Sumitur autem (1.) *Lata*, prout nihil aliud  
notat, quā m manu aliquid quocunque modō cogere, licet  
quod comprehenditur, non totum sit in comprehendentis  
potestate & ex parte saltim teneatur, hoc modo si tò com-  
prehendere ad intellectū cognitionem transfertur, nota-  
bit quidem cognitionem aliquam, sed debilem valde & im-  
perfectam. Postea (2.) vox *comprehendere* paulo strictius  
sumitur, ita ut illud dicatur comprehendere, quod totam a-  
liquam rem intra latitudinem suam ita includit, ut ne mini-  
ma quidem pars sit comprehendendi, quod comprehen-  
dens non circumdet, sicuti cœlum dicitur comprehendere  
sublunaria. Quò significatu si tò comprehendere ad co-  
gnitionem intellectus transfertur, significabit talem cogni-  
tionem, quā res cognoscitur perfectè, ut nihil rei cogno-  
scendæ sit, quod cognitione illâ non attingatur.

§. 50. **Quidditativa cognitio**, monente Suarezio Tom.  
2. Metaphys. Disp. 30. l. 12. n. 5. & B. Scheiblero 2. Metaphys.  
c. 3. art. 3. n. 24. dupliciter sumitur: 1. pro cā, quā cognosci-  
tur quid res sit per prædicatum aliquod, quod in quid de re

E aliquā

aliquâ prædicatur, v. gr. Ex propositione hâc, *homo est animal rationale*, nanciscor cognitionem hominis quidditativam, quia prædicatum illud, animal rationale de homine in quid prædicatur, adeoque ejus essentiam declarat. 2. Cognitione quidditativa illa dicitur, quâ apprehendimus omnia quidditativa prædicata alicujus rei positivâ ac propriô conceptu; quô modô ad cognitionem Quidditativam requiritur, ut rei intelligibilis omnia prædicata quidditativa positivâ ac propriô conceptu cognoscantur.

§. 5r. Jam dicimus Cognitionem, quâ DEUS seipsum intelligit, esse comprehensivam, voce comprehensionis etiam strictè sumtâ, & quia comprehensiva quidditativam includit, patet, quod simul etiam quidditativa appellari queat. Assertionis Veritas elucescit ex hâc, quia DEUS cognitione isthâc ita se cognoscit, ut nihil eorum, quæ in ipso sunt formaliter, eum fugiat. Signanter dicitur *Formaliter*, quia non requiritur, ut DEUS cognoscat in seipso cognitione illâ, quæ in eô sunt *Eminentia*, ratio facilis est, quia eô ipso, quô DEO non insunt, e. gr. creaturæ propriæ & quoad entitatem suam, propriè non possunt à DEO in seipso cognosci. Unde, si cognoscit quicquam de illis, virtutem, quæ ipsi inest, producendi eas cognoscit. Sufficit ergo ad cognitionem, quâ DEUS se cognoscit, comprehensivam, si agnoscit, quæ sibi insunt formaliter, ut essentiam & attributa. Et licet hoc ad cognitionem comprehensivam, quâ DEUS se cognoscit, non requiratur, ut beneficiô ejus DEUS Creaturas cognoscat, exinde tamen non sequitur, E. ipse nullô modô *Creaturas* cognoscit. Sed quia DEUS est infinitè perfectus, infinitè perfecti autem conditio debet esse talis, ut nihil omnino perfectionis in ipso desideretur; intellectus in homine autem omnium confessò est perfectio, id propter ipse longè eminentiori modo in DEO

DEO esse debet, quām est in ipso homine, & consequenter  
DEUS dici poterit infinitē intelligens. Jam si infinitē in-  
telligens est, perfectissimē cognoscibile quodvis, quatenus  
tale & secundum omnem modum, quō cognoscibile est co-  
gnoscet. Omnia autem, quæ extra DEUM sunt, cum fue-  
rint ab ipsō producta, ideo ipsi cognoscibilia sunt, & ideo  
vi infinitæ perfectionis suæ perfectissimē intelligit & co-  
gnoscit.

§. 52. A nobis autem DEUS cognitione quidditativâ,  
quā apprehendimus omnia quidditativa prædicata alicujus  
reipositivō ac propriō conceptu, non cognoscitur, o-  
mnis enim nostra de DEO cognitio inchoatur ab ejus effe-  
ctibus: Nullus verò effectus perfectè & adæquate naturam  
atque essentiam divinam nobis exhibet, sed səpiùs ex ef-  
fectibus non positivō, sed negativō conceptu de naturâ &  
attributis divinis judicare possumus.

§. 53. Verum enim verò hīc sunt qui clamant DEUM  
naturaliter cognosci non posse, quia muliæ gentes eum nec  
cognoverunt, jam autem cīnnes homines natura eādem  
cognoscendi facultate instruxit, adeoque si DEUS natura-  
liter cognosci posset, utique omnes homines naturæ suæ  
viribus ad cognitionem ipsius pertigissent, contrarium ta-  
men exemplis Atheorum, Diagoræ apud Suidam & Cicero-  
nem Lib. i. de natur. Deorum: Protagoræ Abderitæ apud  
Laertium Lib. 9. qui Librum quendam in hanc sententiam  
exorsus est: *Dii sint, nec ne, satis statuere non possum, cum*  
*alijs plura id sciri prohibeant, tum summa rei incertitudo &*  
*brevitas vita.*

§. 54. Antequam ad argumentum respondeamus,  
repetenda est distinctio inter cognitionem DEI compre-  
hensivam & apprehensivam. Sive quod idem est, inter co-  
gnitionem perfectam, & inter cognitionem DEI imperfe-  
ctam

**Etiam & consulam.** Priorem, comprehensivam scilicet, distinctam & perfectam quod spectat, de illâ utrâque largimur manu, eam hemisphærium virium naturalium longe excedere. Homo enim sibi relictus ad ea, quæ in DEO sunt, quæque ad DEI essentiam & perfectionem pertinet, perfectè & adæquate, adeoque comprehensivè intelligenda est ineptissimus; apprehensivam verò & imperfectam DEI cognitionem homini, naturaliter considerato, maxime concedimas. Quibus præmissis respondemus in argumento negando Majorem; à negatione actûs secundi ad negationem actûs primi non valet consequentia. Deinceps planè non sequitur, non dati naturalem DEI cognitionem, licet aliqui DEUM naturaliter non cognoverint: potuerunt enim alii ad naturalem hanc DEI cognitionem pertinere: immò interdum nonnulli magis ore quàm corde, contrarium in conscientiâ convicti, Creatorem suum abnegarunt. Alii autem, illos non tam DEUM quam multitudinem DEOrum, quam Ethnici jactitabant, irrisisse.

**§. 55.** Objicis: Quicunque viribus naturæ DEUM non potest cognoscere Triunum, ille plane DEUM naturaliter cognoscere nequit. Atqui Homo viribus naturæ DEUM non potest cognoscere Triunum. E. &c. Major probatur, quia quicunque DEUM non concipit Triunum, DEUM concipit non DEUM: Sicut qui hominem dicit irrationalē, dicit non hominem. Minor conceditur. Resp. Aliud est cognoscere DEUM absolute, & quoad aliquam saltim rationem: aliud perfectè & omnimodè; à negatione cognitionis perfectæ & omnimodæ, non sequitur negatio cognitionis aliqualis & imperfectæ.

**§. 56.** Porro objicis: Notitia DEI naturalis non est salutaris: E. non sollicitè de illâ laborandum. Resp. à remoto-

motione unius finis ad remotionem aliorum non valet consequentia. Est necessaria illa notitia cum propter nos, tunc propter alios. Propter nos, ut naturae terminos cognoscamus & preparemus ad Scholam Gratiae. Propter alios, ut cum illis disputare quicamus ex iisdem principiis. Disputantes enim debent convenire in iisdem principiis. Praetera nostrum est, semen illud religionis nempe naturales illas de DEO notitias etiam hoc sine fovere, ut in gravissimis temptationibus de DEI existentiâ & providentiâ possimus occurrere Satanæ: & denique ut à belluinis voluptatibus, quibus ipsa ratio paulatim opponitur, abstineamus.

§. 57. Deinceps regerunt & hoc: Qui rationem constituit mensuram DEI, est in DEUM blasphemus. Atqui hoc faciunt Theologi naturales. E. Resp. falsum hoc est: Nemo enim scripsit in Theologia naturali, hominem ratione suâ metiri DEUM.

§. 58. Nec est, ut dicant, Gentiles multa habere de Trinitate & redemptione per Christum. Ergo & illa tradenda esse in Theologia naturali. Resp. (1) Ethnici illa acceperunt à Judæis, & veluti per transennam adspergerunt. *Vide Mornæum. 6. de Verit. rel. Christ.* (2) oportet distingvere inter declarationem & demonstrationem. Multa adferri possunt à libro naturæ pro declaratione utriusque istius Mysterii, quæ ineptè adhibentur ad conficiendas demonstrationes. *Excipit:* Verisimile fieri, quod Ethnici à Judæis illa hauserint, cum illi horum Mysteria deriserint. Resp. Hermes Trismegistus, & primi illi Ægyptiorum atque Chaldæorum omnem suam scientiam à populo DEI hauserunt. At posteri degeneres facti obscurârunt illa, quæ rectè acceperant à majoribus suis & elati superbiâ noluerunt agnoscere se à Judæis aliquid. didicisse.

§. 59. Deincepsogganiunt hoc modò: Rationes Meta-  
E. 3 physi-

physicæ nullius videntur ponderis. Nihil enim concludunt pro DEO, sed gignunt conclusiones de individuo vago, non autem de uno signato. Semper enim hæc existit conclusio: Ergò est quoddam Ens primum, summum &c. Resp. Rationes istæ ita inferunt conclusiones particulares, ut illæ non possint nisi de DEO intelligi. Si enim est Summum bonum absolutè tale, illud aut est DEUS, aut aliquid infrà DEUM, aut aliquid supra DEUM. Si est aliquid infra DEUM, utique non est summum. Si est aliquid supra DEUM, non redit vocatur DEUS, qui habet aliquid se prius. Relinquitur itaque, summum illud bonum esse DEUM.

§. 60. Seqvuntur jam attributa DEI. Ubi vocabulum Attributi ab ambiguitate liberandum esse censemus. Sumitur igitur vox *Attributi* (1) *Latius*, prout idem est ac prædicatum in enunciatione, quod subjecto tribui sive ab eo præcari potest, sive propriè sive tropicè aut figuratè, & ita opponitur subjecto, sive ei, cui tribuitur. Cum enim in enunciatione aliquid alicui tribui nihil aliud sit, quam unum de altero prædicari, patet, attributum nihil aliud esse quam prædicatum. Comprehendit ergò hæc attributi significatio omnia DEI prædicata tamen synonymica, quam paronymica.

§. 61. Attributum sumitur (2) *strictius*, pro conceptu rei secundariō sive pro eo, quod primum subjecti quidditativum conceptum consequitur, & intra ipsum subjectum terminatur. Sicut h. m. risibilitas est attributum hominis, quippe quæ in primo hominis conceptu non involvitur, ex eo tantien oriuit. Et hæc ultima attributi acceptio est potissimum hujus loci, quatenus nempe est conceptus essentiâ divinâ posterior.

§. 62. Hæc attributa DEI nec ab essentia DEI nec inter se realiter differunt, quod probatur sequenti syllogismo:

Si attributa à se invicem & ab essentiâ divinâ differunt realiter, sequitur quod in DEO detur compositio realis & consequenter DEUM esse compositum. Consequens est falsum E. & Antecedens.

Consequentia probatur, quia ubi multa sunt realiter distincta, si uniuntur & unum constituant, non nisi realiter compositum constituunt. Si E. attributa divina realiter sunt distincta & tamen inter se uniuntur, sequitur necessariò, quod constituent compositum quid. Tenenda igitur hic potius est Theologorum regula: *In DEO illa, inter quæ nulla est oppositio relativa, à se invicem realiter non distinguuntur.* Cum itaque inter essentiam & attributa nulla sit oppositio relativa, nec ea in attributa inter se habeant, ultrò patet, quod inter attributa nulla sit distinctio realis. Observari autem hic solet, quod attributa dupliciter spectari possint: (1) *In se sine respectu ad connotata vel objecta*, & sic sunt unum & idem cum essentia & inter se. (2) *In ordine ad connotata*, & sic occurrit realis aliqua distinctio non in ipsis attributis, sed in objectis vel connotatis; E. gr. cum misericordia respectu pœnitenti. am agentis, Justitia autem respectu perseverantis consideratur. De Attributis priori modo dicitur, quod realiter non differant, posteriori autem modo datur aliqua realis distinctio, non quidem inter attributa divina, sed inter connotata.

§ 63. Inter Attributa hæc divina præ aliis eminet Omnis. scientia. DEO reverè Intellectum ac Scientiam competere per viam Eminentiaz & per viam causalitatis demonstrari potest. Cum enim videmus hanc mundi machinam & omnian illa tam sapienter condita esse, tam sapienter adhuc regi, gubernari ac conservari, aliud concludere non possumus,

mus, quām cāusam illorum omnium maximē sapientem,  
imō omnisciam esse oportere. At verō causa illa est causa  
prima, DEUS T. O. M. illi igitur ineffabilem sapientiam,  
scientiam & intelligentiam, nec non prudentiam esse tribu-  
endam, quivis videt. Imō cum ignorantia non leve malum &  
imperfectio esse deprehendatur in creaturis, illa omnino à  
**DEO** removenda & exactissima omnium scientia ipsi tribu-  
enda erit. Nomine scientiæ autem non intelligimus vel qua-  
litatem, vel habitum vel actum propriè factum sive elicitum  
à potentia, neque etiam cognitionem per discursum compa-  
ratam aut aliam similem imperfectionem includentem, sed  
apertam & claram intelligentiam. In hāc scientiā DEI ad  
tria p̄æ primis habendus est respectus (1) ad essentiam divi-  
nam, quæ quatenus in ordine ad connotatum objectum sci-  
bile, scientia dicitur. (2) Ad respectum, quem essentia DEI  
habet ad objectum, quæ maximē realis est. (3) Ad ipsum  
objectum scibile, quod duplex est: Aliud primarium, nempe  
ipse DEUS & omnia quæ in DEO sunt formaliter, cuius re-  
spectu scientia DEI rectè vocari potest comprehensiva sive  
comprehensio, quâ scilicet ita se cognoscit, ut nihil sui co-  
gnoscentem lateat. Aliud secundarium, nempe omnes res  
cognoscibiles extra DEUM. Sicut autem objectum hoc se-  
cundarium res scilicet extra DEUM non sunt ejusdem ratio-  
nis: Ita essentia DEI terminata ad diversa illa objecta diver-  
sa etiam scientiæ appellationem sortitur. Quatenus enim  
terminatur ad res prout sunt necessariò possibles, eatenus  
dicitur scientia *naturalis* vel *simplicis intelligentiae*, quia per  
eām DEUS res illas possibles necessariò cognoscit. Vocatur  
hāc scientia DEI naturalis, non ideo, quia ad naturam sive  
essentiam DEI spectat, h. m. omnis scientia DEI est natura-  
lis; sed naturale hic opponitur *libero* & idem est ac necessari-  
um, ut naturalis scientia DEI nihil aliud sit quam necessaria  
scien-

scientia, sicut enim res possibles, quae naturali scientia cognoscuntur, necessariò sunt possibles, ita scientia, quā cognoscuntur, necessaria dicitur, quia necessariò DEUS res possibles debet cognoscere.

§. 64. Quatenus verò eadem essentia divina terminatur ad res, prout sunt præsentes, vel ad præterita, vel ad absoluṭe futura tam contingentia quam necessaria, eatenus vocatur *scientia libera*, hâc enim omnia ita DEUS cognoscit, ut eadem etiam potuerit non cognoscere, si scilicet ea producere, aut cum iis concurrere, aut ea permettere non decrevisset, sicut decretivit. Quæ libera scientia ideo sic dicitur, quia DEUS per eam res liberè cognoscit, ut potuerit eas non cognoscere: Si enim decrevisset eas non producere, potuisset etiam eas non cognoscere, ut futuras, præteritas aut præsentes.

§. 65. Quatenus dñe libera terminatur ad futura contingentia conditionata, appellatur *Medita scientia*, quia mediò quasi loco ponitur inter naturalem & liberam, & non planè ad naturalem, nec planè ad liberam referti potest. Nam ad *Liberam* refertur quidem, quatenus etiam est rerum futurorum, non tamen earum, quæ absoluṭe sunt futuræ; ad *Naturalem* verò aliquò modò spectat, quatenus prior est decretò divinò, sicut naturalis, sed ab eâ etiam discrepat, quia naturalis est rerum tantùm possibilia, ita media est rerum futurorum sub conditione.

§. 66. Sequitur jam voluntas DEI, quæ circa objectum suum primarium (nempe DEUM) versatur necessariò, sed inefficaciter & simplici complacentiâ sive DEUS seipsum necessariò amat & appetit voluntate simplicis complacentiae. Dicitur *necessario*, si enim ab actu amoris quis cessat circa objectum, ideo illud fit, quia vel in objecto vel in ipso a quo sive exercitiō circa objectū occurrit aliqua ratio mali vel

F

majus

maius quid sese offert, quod abstrahatur voluntas ab objecto  
amatō. At verò nihil horum in amore, quod DEUS seipsum  
amat, locum habet, neque in objecto aut in actu amandi ali-  
qua ratio mali occurrit. Er. DEUS seipsum non potest non  
amare. Deinceps dicitur *inefficaciter*. Neque enim voluntas  
divina ita versatur circa DEUM, ut eum velit producere,  
hoc enim impossibile est, sed simpliciter secundum se ipsum  
amat ac appetit. Deinde voluntas divina inefficax, quatenus  
a nobis concipitur, & aversatio, versatur circa malum culpe  
necessariō, ita ut non possit non aversari illud. Ratio est  
quia in quo est nulla ratio boni, id voluntas præsertim divi-  
na nequaquam amat. Atqui in malo culpæ, quæ tali, nullachil  
ratio boni. E. Voluntas divina nequaquam appetit, sed ne-  
cessariō aversatur illud. Notanter dicitur *inefficax*; Volunta-  
te enim efficaci malum culpæ aversatur liberè, hoc est, ita a-  
versatur illud, ut nunc velit illud tollere, nunc non velit illud  
tollere aut impedire, sed permittere illud præsertim condi-  
tione hâc vel illâ positâ. Postea signanter etiam dictum, *ma-  
lum culpe*, mala enim pæna DEUS non aversatur necessari-  
ō, sed ea quatenus talia certâ ratione appetit & creaturis  
immittit.

§. 67. Voluntas verò divina inefficax sive simplicis com-  
placentiæ circa objectum secundarium, res sc. extra DE-  
UM, quatenus hæ sunt possibles, est necessaria, non libera.  
Ratio, quia sicut res illas sub ratione possibilis cognoscit necessariō: ita etiam necessariō eas sub ratione possibi-  
litatis voluntate simplicis complacentiæ appetit; sequere-  
tur enim aliàs voluntatem DEI esse mutabilem. Si enim res  
illas ut possibles modò velleret seu amaret, modò non velleret,  
mutatio, quæ hîc occurrit, aut in voluntatem DEI aut in  
res possibles cadet, non verò cadit in res possibles, utpote  
quæ necessariō sunt possibles. Ergò in voluntatem DEI,

Loc

Hoc autem assertere immutabilitas DEI prohibet, ideoque dicendum, voluntatem DEI circa res possibles quâ tales versari necessariò. Notanter autem rursus dictum est, inefficax, voluntate enim efficaci versatur circa eas liberè, sicut enim eas liberè producit, ita etiam liberè illas vult producere, non necessariò e. gr. novus aliquis mundus est res possibilis, DEUM autem necessariò velle cum producere, falsum est.

§. 68. Voluntas DEI efficax absoluta est immutabilis sive necessaria necessitate immutabilitatis & eodem modo etiam necessariò siuntea, quæ hâc voluntate vult DEUS; quod probant illud Rom. 9.19. Voluntati ejus quis resistet. Neque per hanc assertionem libertas DEI evertitur: Quæ cunque enim DEUS efficaciter & absolute vult, illa nihilo minus ita vult, ut possit etiam non velle, vel aliter etiam velle, adeoque habet voluntatem liberrimam. Sed positô, quod hâc modô ea voluerit, immutabiliter & necessariò ita vult illa, quæ ut quivis videt, est tantum necessitas ex hypothesi & propterea cum libertate optimè stare potest. Voluntas autem DEI efficax conditionata in se spectata itidem est immutabilis, licet objectum vel respectus ex parte objecti mutabilis sit, sive enim conditio impleatur, sive non, DEI voluntas per hoc non mutatur, sed si qua occurrit mutatione, illa in objectum cadet.

§. 69. Postea distinguitur Voluntas in Voluntatem Revelatam & Arcanam. Hanc distinctionem voluntatis divinæ habet Calvinus lib. I. Instit. cap. 17. §. 2. & lib. 3. cap. 20. §. 43. ubi dicit, unam DEI voluntatem in Scripturis esse revelatam, quâ DEUS vult præcepta sua servari. Alteram arcanam sive absconditam, quâ omnia moderatur & in suum finem destinat. Wendelinus in Christ. Theol. I. I. C. I. th. 18. ait, quod arcana voluntas DEI propriè sic dicta sit æternum

& immutabile DEI decretum de faciendis vel permittendis  
in tempore plurimis, quæ ignota sunt nobis, ex defectu pa-  
tēfactionis; revelata autem propriè non sit DEI decretum,  
sed patēfactio facta in verbō, quæ tamen semper decreti ali-  
cujus est testimonium, sed non semper ejus, quod prima  
fronte à nobis concipitur.

§. 70. Verūm hæc distinctio admittenda nequaquam est  
rō sensu, quō à Wendelino; cum primis autem à Calvinō  
traditur. Nam ait Becanus Theol. Schol. p. 1. Tr. 1. c. II. q. 1.  
n. 13. ipse Calvinus docet, DEUM prohibere peccata per  
voluntatem revelatam; præfinire autem & ordinare pecca-  
ta per voluntatem arcanam & absconditam, id est, DEUM  
quædam in Scripturis revelare nobis & patēfacere, quod  
nolit peccata; interim tamen occulte velle peccata, ut ha-  
beat occasionem exercendi justitiam vindictivam. Hæc Be-  
canus. Quæ profectò assertu impia sunt.

§. 71. Notanter dictum, quod eō sensu quo à Wendeli-  
no cum primis à Calvinō distinctio hæc traditur, nequa-  
quam sit admittenda. Nam pro diversitate objectorum,  
posse voluntatem DEI distingui in arcanam & revelatam  
Nostrates Theologi libenter concedunt: At respectu ejus-  
dem prorsus objecti, ut volunt Calviniani, illam ita distin-  
gui posse unanimiter negant.

§. 72. Denique dicendum est, an recte Voluntas di-  
vina distinguitur in antecedentem & consequentem? Quam  
distinctionem Voluntatis divinæ in antecedentem & conse-  
quentem primum hisce terminis proposuit Damascenus lib.  
2. de fide orthodoxâ cap. 29. Eadem tamen quoad rem vide-  
tur esse cum distinctione, quam tradit Chrysostomus hom. 1.  
in Epist. ad Ephesios, nempe in Voluntatem primam & secun-  
dam. Explicatur autem ista distinctio a Scholasticis non  
nō modō.

§. 73.

§. 73. Thomas in I. parte q. XIX. a. VI. ad primum; antecedentem voluntatem dicit esse, quæ respicit objectum, prout illud, cùm primò secundum naturam absolute consideratur, apparet bonum & expetendum. Consequentem autem, quæ idem objectum respicit, sed prout non modò secundum naturam suam, verùm etiam secundum omnes adjunctas circumstantias consideratum, bonum & expetendum apparet. Id quod declarat exemplô justi iudicis, qui homicidam ut hominem antecedenter considerans, præclaris etiam cum aliis forte dotibus ornatum, vellet eum vivere, sed consequenter considerans illum ut homicidam, vult eum morte damnari. Et postea, addito tamen prius exemplô ex sacris, ait, consequentem DEI voluntatem simpliciter dicendam esse voluntatem, quoniam semper impletur: antecedentem autem esse voluntatem secundum quid, quia non est efficax. Sic Antecedens Voluntas est saltim simplicis complacentiæ, & inefficax; Consequens autem efficax.

§. 74. Juxta nostrates Theologes Antecedens Voluntas est, quâ DEUS omnium hominum salutem vult, & ad illam etiam ordinavit media. Consequens autem, quâ DEUS illis tantum vult conferre salutem, qui mediis rectè & finaliter utuntur h.e. qui verè credunt. Hinc facile potest ostendi duplex DEI voluntas Antecedens & Consequens hoc argumento: Si DEUS vult omnium hominum salutem & ad illam media quoque ordinavit, postea tamen illis tantum actu vult conferre salutem, qui media non respuunt, sequitur esse duplē DEI voluntatem, Antecedentem scilicet & consequentem; Antecedens est verum E. & consequens. Antecedens probatur primò ex I. Tim. 2.4. DEUS omnes homines vult salvos fieri. Deinde, vult saltim illos salvos fieri actu, qui credunt, Joh. 3.1 ubi dicitur, ut omnis, qui credit in eum, non pereat.

§. 75. Hæc tamen non sunt ita intelligenda, quasi duæ oppositæ voluntates sint in DEO, sed est una simplicissima DEI voluntas, quæ aliam atque aliam accipit denominatiōnem, & modò antecedens modò consequens dicitur ob objectum, quod diversimodè se habet.

§. 76. *Inquis*: Ex hâc distinctione sequitur absurdum & impium, DEUM scilicet, cui ab æternô omnia non tantum sunt prævisa sed etiam provisa, aliquid intendere, quod ab æternô cognovit non futurum & sibi proposuisse finem, ad quem sciebat se non perventurum. *Resp.* absurdum non est, DEUM, cui ab æternô omnia sunt prævisa, aliquid intendere per potentiam ordinatam efficiendum, quod tamen ab æternô cognovit non futurum, e. gr. DEUS cum rebus naturalibus concurrevit & cum homine concurrens intendit generare hominem, cum equo equum, & tamen sœpius ab æternô præcognovit, non hominem vel equum, sed monstrum generandum esse, prævisum hic est ab æternô non hominem generari, sed monstrum, quô non obstante DEUS intendit cum homine generare hominem; quod verò homo non nascitur, sed monstrum, id non DEO, sed causæ secundæ nempe homini adscribitur: ita DEUS intendit omnium hominum salutem ordinatâ potentia h.e. per media ordinaria, ut tamen prævisum sit ab æternô multos non esse admissuros illa media.

§. 77. *Porrò regeris*: Voluntas antecedens non est voluntas, sed saltim desiderium aliquod, quo DEUS precariotantum obtinet, & quantum licet per arbitriū humanum. *Resp.* negando, quod voluntas Antecedens non sit vera voluntas: quod enim dicitur, eam saltim esse desiderium *Resp.* Desiderium etiam est vera voluntas, sicut enim is, qui desiderat aliquid, illud vult, ita desiderium est voluntas aut volitio. *Quod verò porrò dicitur, Voluntatem antecedentem esse*  
*desi-*

desiderium, quod DEUS precariò tantum obtinet & quantum licet per humanum arbitrium, ad id dupliciter potest responderi. *Primo*, ex mente eorum, quibus Voluntas Antecedens est simplicis complacentia & inefficax, juxta horum sententiam falsissimum est, quod DEUS id, quod voluntate antecedente vult, precariò obtineat; nam precariò saltim aliquid obtainere presupponit voluntatem agendi, qualis non est Voluntas simplicis complacentia: unde si antecedens voluntas est simplicis complacentia & inefficax sine intentione agendi, sequitur DEUM id, quod antecedente voluntate vult, non obtainere precariò, quia, ut dictum, hoc presupponit voluntatem cum intentione agendi. *Deinde* aliter ex mente eorum responderi potest, quibus antecedens voluntas est efficax. Sicuti igitur potentia DEI est duplex: *Ordinata*, quæ agit secundum ordinem & legem, & *absoluta*, quæ agit sine hujusmodi ordine & lege, ita DEUS voluntate efficaci potest aliquid dupliciter velle, vel ut illud efficere velit potentiam ordinatam vel absolutam. Si absolutam potentiam aliquid vult efficere, voluntas simpliciter impletur; Si verò vult aliquid efficere potentiam ordinatam, voluntas ista non semper implebitur, quia tunc ad actionem istam concurrunt etiam agentia creata, quæ actionem impedire possunt. DEUS igitur vult voluntate efficaci non absolutam, sed ordinatam potentiam omnium hominum salutem efficere; juxta ordinem scilicet in verbo prescriptum, nempe ut credant, seu hanc conditione, si in fide perseverent usque ad finem. Licet autem non omnes media à DEO ordinata admittant, non tamen inde sequitur, DEUM precariò saltim obtainere id, quod vult, & quantum per humanum arbitrium licet. Nam is precariò obtainet aliquid, qui aliter quam per preces aut per quædam media non potest finem obtainere, DEUS autem semper suum finem potest obtainere,

tinere, si non per ordinatam, tamen per absolutam potentiam, non obstante, quod solâ ordinatâ utatur potentia in salvandis hominibus, inde enim hoc saltim sequitur, DEUM non absolute, sed sub conditione salutem hominum velle.

§. 78. Postea id obstat videtur, quod hâc distinctione pugna inducatur inter duas DEI voluntates. Resp. negando ullam esse pugnam inter voluntatem antecedentem & consequentem. Nam ut inter actus voluntatis sit pugna, requiritur, ut habent idem objectum eodem modo consideratum, ita ut voluntas illud velle simul & non velle dicatur, sic actus propriè erunt pugnantes c. gr. talis pugna inter voluntatis actus esset, si judex homicidam propter idem homicidium sub iisdem circumstantiis spectatum vellet simul capite plecti & non capite plecti, vel si DEUS vellet hominem credentem salvari, & eundem non salvari. At verò voluntas antecedens & consequens licet habeant idem objectum, nempe hominum salutem, non tamen objectum illud spectatur eodem modo. Antecedens enim circa illum versatur absolute, vel ut alii explicant, quatenus DEUS omnibus ordinavit media ad salutem; consequens autem aliò modo versatur circa hominum salutem, quando scil. homines media ad salutem ordinata admittunt, quâ ratione nulla est pugna.

§. 79. Denique objiciunt, quod h. m. statuatur voluntati divinæ posse resisti, cum tamen Rom. 9 negetur, voluntati divinæ resisti posse. Resp. absurdum non esse Voluntati divinæ non quidem absolute sed ordinatae seu quæ vult aliquid secundum ordinatam potentiam agere, resisti posse; vult enim DEUS ordinatâ potentia hominem convertere, huic autem voluntati potest homo resistere, ut non convertatur.

F I N I S.


OSO

VD 74

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

1. Nov. 1999

SLUB DRESDEN



3 0363171

